

05

A

311





205.
6
Exercitationum Politica-

rum, nobiliores controver-
sias expendentium,

S E X T A

Quam

D. O. M. A.

*In celeberrimâ Electorali ad Albim
Academia*

P R Æ S I D E

M. JOHANNNE OLEARIO


Hallens. Sax. Amplifs. Facult. Philo-
soph. Adjuncto

Publicè ventilandam proponit

IOHANNES SIEGFRIEDT,

VVitteb. Alumn. Electoral.

*In Auditorio Minori, ad diem 16. Julii 17 Septemb.
horis pomeridianis, matutinis.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.

EXERCITATIONUM POLITICARUM

rum, nobiliores contraver-

has expendendum

SEXTA

Quam

D. O. M. A.

In celeberrima Electorali ad Albinam

Academia

P R A E S I D E

M. JOHANNNE OLFARIO

Hallensi Sax. Amplis. Facult. Philo-

soph. Aduncto

Publico consensu proponit

IOHANNES SIEGFRIEDT.

Vitich, Alumn. Ele. foral.

In Auditorio Minoris, ad diem 16. Julii 17. Septemb.

hunc commentarius, tractatus.

WITTEBERG

Typis Johannis Christophori Giesel.

Anno MDCCLXXV.



QUÆSTIO I.

*Num Monarcha &c. per sortem
constituendus?*



PX Politicis Constat, Vocationem divinam ad Magistratum vel Mediatam esse vel inmediateam. Ordinariam vel Extraordinariam. Ibi varii occurrunt modi, partim illiciti atq; illegitimi. ut sunt 1. Occupatio violenta 2. Invasio fraudulenta. 3. acquisitio per Largitionem: Partim liciti & legitimi. v. g. obtinetur Magistratus, Monarcha &c. vel 1. per Electionem. 2. vel per successionem. 3. vel per justam occupationem. De Electione dictum est Disput. 5. quæst. II. Distinguitur v. illa 1. Ratione cause efficientis sive personarum eligentium in eam, quæ fit à superioribus (ut quando ab imperatore constituuntur præsides provinciarum, duces belli, præfecti &c.) & quæ fit ab inferioribus. Fit a. hæc vel ab omni populo (ut olim exercitus eligebat Imperatorem) vel à proceribus & optimatibus (ut hodiè Septemviri Imperatorem eligunt totius Imperii Romani nomine, unde & Electorum nomen) 2. Ratione modi distinguitur electio in eam quæ fit per suffragia ac vota; & quæ fit per sortem. Vota vel sunt planè libera in quamcunq; personam, vel sunt ad certum quendam ordinem ac certas quasdam personas lege restricta. Hiscè ergò singulis præsuppositis ad quæstionem datam: Num per sortem Monarcha constituendus. Respond. Nos concedere, quod multi sint hoc negâtes. 1. quia videtur esse temerarium. Confer Aristot. 1. Ethic. 9. Unde Euripides vocabat κληρονομία τῆς τύχης παῖδα. Tentare autem fortunam ubi consilio locus, temerarium est maximè. 2. Est stolidum. sors etenim dignum ab indigno discernere nequit v. g. Neronem à Tiberio. Augustum à Caligula. 3. Experienciâ refutatum. quæ per sortem

A 2

sapis.

170
sapissimè electos esse tam aptos ad Imperium, quam asinum
ad lyram, ostendit. 4. *Est variis periculis obnoxium.* Vide de frau-
dibus, imposturis &c. quæ hic occurrere solent, *Arbenanm lib.*
9. de Sacerdotibus Isidis. Verum non obstantibus hisce *asserimus:*
Electiōnem, uti in genere, 1. religiosè ac Sanctè. 2. libere & incorrup-
tè. 3. prudenter & circumspèctè peragenda est; ita extraordinariè,
nonnunquam, quando exulant fraudes & impostura, sorti posse com-
mitti, potissimum in eo casu, quando non inæquales (ut Augustus &
Caligula) sed maxime æquales sunt Reipub. præficiendi, ubi discer-
nere non Amplius valet humana industria. Quod prob. 1. quia
sortes in ejusmodi casu necessitatis non temerariæ sunt nec
frustraneæ. Confer Proverb. 16. 33. & Augustinum in Psal. 30.
Sors est in dubitatione humanâ divina indicium voluntatis. 2. Hoc
modo semina discordiarum & seditionum &c. commodissimè
extirpantur. 3. Idem confirmant exempla profana vide Justin.
libr. 13. qui refert de Successoribus Alexandri M. quod sorte di-
viserint regna & provincias & Suetonius de Vespasiano memo-
rat, quod ipse quæstor Cretam & Cyren. provinciam sorte tulerit.
4. Exempla Sacra, quæ cuivis obvia, ut Saul &c. Confer
Schönborn. lib. 2. Ex quibus argumenta opposita facilè corruunt.
Respond. enim ad illa omnia in genere. 1. Distinguendo inter
rei ipsius bonitatem intrinsecam & accidentariè annexam,
ab usum. 2. Inter factum ordinarium & extraordinarium cum
casu necessitatis conjunctum. 3. Inter casum ubi delectum
humana prudentia amplius non invenit, & ubi decisio etiam
extra sortem obvia est. 4. Inter formam Reipub. Democrati-
cam, ubi quia civium spectatur æqualitas facilius admitti pos-
sunt sortes, quam in Aristocratiâ & Monarchiâ. Confer thesin no-
stram. 5. Inter Sortes ab omni fraude remotas & cum fraudi-
bus atq; imposturis conjunctas. Confer exemplum

Darii per hinnitum equi electi ap. Herodot.

in Thaliâ.

QUÆST. II.

705.

QUÆSTIO I I.

*Num per successionem Monarcha
constituendus ?*

Succesio fit vel 1. ratione generationis & natiuitatis (sic liberi parentibus succedunt) 2. ratione agnationis (sic proximi agnati) 3. ratione desponsationis (per conjugia) 4. ratione emtionis, item oppignorationis quæ non minus alienationis est species l. 72. de Reg. Juris 5. vel ratione permutationis (qua quis mediante contractu aliquo permutationis Imperium consequitur) 6. ratione donationis inter vivos vel ratione testamentaria dispositionis (ubi etiam quæri poterat : quid nam de Donatione Constantini Magni sentiendum sit. Respon. ut rem verbo complectar : Nihil. Nam & de jure & de facto nullam esse probavit dudum Reinking de regimin. sec. addatur Mornei myster. iniquitat. Marsilii Patavini defensor pacis. Gerhardus de ministerio §. 320. Himelius in tractatu de jure canonico. Confer Disputat. 4. Politicam quest. 1. Collegii Politici D. Gottfridi Olearii. Imò eandem Donationem oppugnavit dudum Gentilletus in Apolog. pro Christ. Gallis cap. 12. fol. 197. argumentis XI. Et Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 3. de conc. Cath. cap. 2. Laurentius Valla in peculiari declamatione, Petrus de Vineis Anno 1230. Dantes Florentinus Anno 1320. Antoninus Archiep. Florent. part. 1. Hist. tit. 8. cap. 1. Hieronymus Cathalanus Alexandri 4. Cubicularius in Practica. Renus Episcopus Paduanus, in vitis Pontificum, Raphael Volateranus. Alciatus lib. 7. prerog. juris cap. 19. Baptista Mantuanus, Baptista Egnatius, Franciscus Petrarca, Vlricus Huttenus, Aventinus, Vasquius, Baldvinus & Ctus de legibus constantini lib. 1. Molinaus in comment. ad Henr. Reg. n. 133. Anton Contius lib. 2. succisiv. lect. ca. 20. num. 1. Bodinus de Repub. cap. 9. n. 141. Cujatius lib. 1. Reip. Papin. ad l. Legatus 20. ff. de off. pres. Schneidwin Proem. in instit. ad Rub. n. 8. Johan Dauth. de test. n. 255. Georgius Merula de Vice Comiti lib. 9. Hottomanni Brutum fulmen. Gilbertus Regius lib. 1. cap. 24. Jacobus de Belleviso in Proëm Digest. Eberhardus à Mittelburg in Top. de veri-

A. 3.

simil

simil Sicbardus Consil. feud. 6. num. 28. Schönborn lib. 2. Polit. c. 17.
Camerarius in Horis successiv. Wolffius Cent 16, memorab. Imo ipse
Aeneas Sylvius, qui postea Pontifex factus, & Pii Secundi no-
men adeptus, in dialogo quodam, quem scripsit ad huc Cardi-
nalis, stolidos legistas appellat, quod tãt opere sudet an donatio Constan-
tini valeat, cum tamẽ nunquam sit facta. Unde & Veneti à Pontifice
rogati, quo jure vectigalia in mari Adriatico sibi vendicarent,
responderunt, privilegia illa extare in Cancellaria Romana in alte-
ra folii parte, in cujus priore habetur Donatio constantini M.) Quan-
quam verò quo ad singulos succedendi modos non exiguè ven-
tulari soleant hinc inde controversiæ de quibus passim J Cti &
Politici nihilominus tamen quia huc non spectant quoad præ-
sentem quæstionem asserimus: etiam successionem pro ratione cuius
Reipub. accommodatã, & nisi obstet specialis lex, inter legitimos Mo-
narcham & c. constituendi modos rectè numerari. Quod ipsum
quia rationibus quatuor probavit, & ad argumenta contraria
respondit Schönb. lib. 2. Polit. cap. 9. non opus est ut quicquam
addamus. Conferatur etiam Casus in sphaera civitatis pag. 225, &
Heiderus pag. 375.

QUÆSTIO III.

An penes populum sit jus eligendi?

Videtur Negandum ob exempla tam Sacra quàm profa-
na. Nihilominus tamen asserimus: præsupposita distinctione inter
imperium constituendum & constitutum. Quod in imperio constitu-
endo jus & potestas constituendi Magistratum omninò sit penes popu-
lum quod probatur, quia: populus incommoda imperii sentit,
& ejus onera perferre cogitur, ideo etiam æquum est, ut penes
eum sit potestas eligendi eum cui parere velit. Quanquam
enim Principes & subditi ratione sui formalis relata sint se-
mutuo ponentia & tollentia, interim tamen materialiter na-
turæ & temporis ratione priores sunt subditi, adeoq; hi sibi
principem, non vero Princeps sibi subditos constituere potest.
Unde rationes oppositæ facillè tolluntur, si distinguatur inter con-
sensum populi tacitum & expressum. Interdum enim optimates no-
mine

mine totius populi eligunt, quia ipsis vel lege Imperii funda-
mentali, vel consuetudine, vel quadam delegatione hoc
concessum est: in Imperio autem jam constituto potestatem con-
stituendi Magistratus inferiores esse penes Magistratum sum-
mum, cumq; solum vel & populo conjunctum non negamus.

QUÆSTIO IV.

An Electio preferenda successioni?

Videtur *Affirmandum* 1. ex jure naturali, quod digniori
concedit imperium, 2. ex virtutis in collatione ad naturam
prestantiâ. Videatur *Casus lib. 3. Sphæra civitatis cap. 11.* Addan-
tur *Autores quæstione 2. antecedente citati.* Non tamen desunt
rationes contrariae, quarum plurimæ apud *Bodinum lib. 6. de*
Repub. cap. 8. Tholosanum lib. 7. de Repub. cap. 4. Lipsium lib. 2.
Polit. cap. 4. Waremundum ab Ehrenberg in oratione peculiari:
Quibus singulis suo loco relictis asserimus non tam thesi & ideali
abstractiva consideratione (ubi & electionem & successionem li-
citam esse negari nequit) quam de hypothese & applicatione dispi-
ciendum esse, adeoq; leges fundamentales cujus vis regni esse unice re-
spiciendas, & prætextu alicujus ratiuncule contraria modum constitu-
endi magistratum legibus sancitum temerè nequaquam esse mutan-
dum. Ex quibus *rationum contrariarum facilis est conciliatio*, si
præsupponatur 1. fieri posse ut electio sit tutior, successio ve-
rius stabilior. 2. posse & suo modo approbari distinctionem,
quam nonnulli hîc adhibent inter regnum constituendum &
constitutum. 3. Distinguendum esse Magistratum Summum
& inferiorem. 4. aliam esse electionem planè liberam; aliam
verò restrictam, conferantur *antecedentes qq. & autores supra*
citati.

QUÆSTIO V.

An primogenitus preferendus in successione?

Videtur *iniquum*, quia naturâ omnes æquales fecit, & hoc
modo discordiæ inter fratres seminantur &c. Verum postha-
bitis



bitis hiscè *asserimus. omnino leges illas & consuetudines, quæ favent primogenitis esse pro cujusvis Reipubl. constitutione retinendas. Cujus rei probatio videri potest apud Schönb. lib. 2. Ubi etiam ad cognatas questiones respondetur.*

I. Uter ex duobus Regis filiis, quorum alter ante, alter post adeptum à Patre regnum natus est, primogenitus & Imperii hæres sit censendus. *Conferatur Förster de succes. lib. 4. cap. ultimo. Cujatius libr. 1. de feudis. cap. 11. Schraderus parte 7. cap. 5. n. 57. de feud. Alciatus ad libr. bonæ fidei num. 28. ff. de deposita. Imprimis Hottomannus Illust. quest. 2. & Hunnius in resolutionibus juris civilis.*

II. An filius primogenitus præferendus sit Patruo suo, in successione ex jure primo genituræ, videatur *Cujatius de feudis lib. 2. cap. 1. Förster. de succession. lib. 2. cap. 18. Traquellus de jure primogenituræ quest. 40. Hunn. lib. d. quest. 26.*

III. An quando primogenitus propter senium vel alia quacunq; ex causa minus idoneus est regno, contra ipsius voluntatem secundo genito deferendum sit imperium. *Quod pleriq; negant: Videatur Gregorius Tholosanus lib. 26. de Repub. c. 6.*

IV. An legitimatus gaudeat jure primogenituræ. Ubi explicanda homonymia vocis legitimati. Talis etenim quis est vel ex rescripto Principis vel per subsequens matrimonium &c. Item primogenitus nonnullis alius est naturâ, alius ex Juris dispositione. *Qua de re suo loco § Cii.*

QUÆSTIO VI.

An Monarcha vel alius Magistratus legitime sive per electionem, sive per successionem &c. constitutus, possit per donationem, venditionem, oppignorationem, permutationem, testamenti factionem &c. aliquid alienare ab Imperio.

Videtur *Affirmandum* tum ob alias rationes, tum etiam inprimis ob facta Caroli 4. & aliorum, qua de re *Reinking, Schönborn, & alij* videri possunt de exemptione & alienatione subditorum Imperii. Verò non obstantibus hiscè *asserimus, Magistratus*

tui,

tui, quando nulla ad sunt leges fundamentales prohibēt, posse quidem
aliquid hic concedi: Ubicunq; verò hæc obstant, & absolutam atq; li-
mitatam potestatem non nihil restringunt, accerto modo limitant,
ibi nequaquam aliquid alienari posse aut debere. Quod proba-
mus. 1. Ex Principis officio, qui nequaquam diminuere debet
Imperium sed augere. Vide *Proem. Instit. Justiniani* adeoq; nec
debet nec potest regalia in successorum præjudicium aliena-
re Videatur *Hottoman. in quest. Illust. quest. 1. 2. Ex Reipub. pro-*
prio. Nam jura Regni ratione proprietatis & domini pertinet
ad Rempub. sive ad regni membra: ratione usus verò & admi-
nistrationis sunt Magistratus. Vid. *Althusius Pol. cap. 15.* Adeo
ut Princeps sit veluti tutor & administrator Reipub. cujus di-
citur Dominus, non tam quo ad proprietatem, quam quo ad
gubernationem & protectionem. Videatur *Zöanet. tract. de*
Imp. Roman. num. 197. 3. Ex aliorum exemplo. Nam 1. Inter alias
leges & conditiones, in quas juravit *Carolus V.* fuit etiam hæc,
Facultates Imperii neq; distrabat, nec oppignoret, nec alio quovis mo-
do deteriores faciat: Item: Imperii bona, quæ fortè vacabunt, nemi-
ni conferat, sed ad Publicum Patrimonium referat. Vide *Schleidan.*
in comm. libr. 1. ad Annum 1519. Addatur *Cubach. de jure publ.*
cap. 23. lib. 2. num. 35. (2. Inter leges fundamentales Regni Gallici,
quas recenset *Hottomann. libr. 1. de antiq. jure Reg. Gall. cap. 23.*
sunt etiam istæ ut Regi non sit jus nec filiam adoptare, nec de suo re-
gno inter vivos vel per testamentum disponere, sed in Regni successio-
ne majorum instituta & antiqua consuetudo servetur. Ne regis jus
sit ullam domini sui partem sine publici Consilii autoritate alienare,
quippe quod ad tuendam tantum reginam dignitatem, utendum fruen-
dum datum est, ut parem in eum potestatem habeat, atq; marito in
uxoris dote conceditur. 3. *Crantius lib. 2. Daniae cap. 3.* Postquam
commemorasset, quod *Haldanus Unguinum Gothorum Regē*
post se regni moderatorem in Dania designarit, Noruegiæ fi-
lium impuberem relinquens; subjicit: *Novum & ante hac*
inconpertum munus testamento datum: Equidem ades, agros, præ-
dia vineas & his similia testamento dari audivimus. Regnum autem
prestare chartæ beneficio, prodigii loco habitum est.

Ex quibus Responsio ad Argumenta contraria facilis est mo-

B

dè

dò inter id, quod de jure & de facto evenit, distiguatur: Et, aliam esse absolutam, aliam restrictam potestatis naturam, observetur.

QUÆSTIO VII.

*An juramentum, quod à Magistratu reces-
creato nonnunquam præstari solet ejusdem dignitati &
autoritati detrahatur?*

Non est questio de juramento fidelitatis, quod Pontifex Romanus ab Imperatore (quanquam eidem de jure divino subiectus sit, ut probat Excell. Dn. D. Jacob. Martin. libr. 2. Polit. cap. 24. Et Libenthal Exercit. Polit. 7. questio 2.) exigere solet vide Schleidan. libr. 7. comm. ad Ann. 1530. Ubi commemorat quod eodem An. di. 24. Februa. Carolus V. Bononiæ maximo cum apparatu & Splendore inauguratus sit à Pontifice, cum verbis conceptis jurasset, Pontificiæ dignitatis perpetuum se futurum esse defensorem. Videatur Jus canon cap. Tibi Domino Distinct. 63. cap. 33. ubi recensetur Juramentum Ottonis quod fecit Papæ Johanni; Item Constitutio Ottonis, hæc verbis: Tibi Domino Johanni Papæ Ego Rex Otto promittere, & jurare facio per Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, & per lignum hoc vivificæ crucis; & per has reliquias Sanctorum, quod si permittente Domino Roman. venero, Sanctam Romanam Ecclesiam & te Rectorem ipsius exaltabo, secundum posse meum, & nunquam vitam aut membra, & ipsum honorem, quem habes, mea voluntate aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes: & in Romana Urbe nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio: & quicquid de terra Sancti Petri ad nostram potestatem pervenerit, tibi reddam & cuicumq; Itali cum Regno commiserit, jurare faciam illum, ut adjutor tui sit ad defendendum terram Sancti Petri secundum suum posse, sic me. DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia. Quod juramentum injustissimum esse docet constitutio Friderici I. apud Reinking in tractatu de Regim. Sec. & Eccles. quæ criminis læsæ Majestatis reos pronunciat omnes, quicumq; Pontifici dominium esserant Videatur etiam

etiam constitutio Electorum. Anno 1338. apud Aventinum; quæ ne-
minem nisi Deum & ensẽ Imperatore agnoscit superiorem.

Sed questio est de juramento illo, quod in electione Magistratus
prestare solet nonnunquam Regni Proceribus an illud auctoritati &
dignitati Magistratus aliquid detrahatur.

Quod ipsum licet affirmet Bodinus: Conferatur Arniseus
libr. 1. de jure Magistr. cap. 6. Afferimus tamen, juramentum illud
confirmatorium, quando Magistratus ac subditi certis legibus invicem
paciscuntur, honestati, legibus divinis ac naturalibus consentaneum,
Reipub. etiam Saluti ac libertati utilissimum, auctoritati Magistratus
ejusdemq; dignitati nihil quicquam detrabere.

Quod probamus 1. Ex juramenti hujus natura, quod cum
juxta Rittershusium nihil aliud sit, quàm religiosa quædam af-
fectio adorationis cultusq; divini species ad optimum finem
directa Magistratus dignitatem, adeoq; ordinationem divi-
nam infringere nullatenus potest. Conferatur Chemnit. part 2.
L. C. de juramentis.

2. Cum necessitate conjuncta utilitas: Quanquam enim aliàs
ad promovendum bonum publicum teneatur Princeps, diffi-
cile tamen est, ut rectè monet Lipsius in præfat. Polit. In summa
illa fortuna non abripi licentiæ ventis: quapropter ad exem-
plum Ter maximi Monarchæ foedus cum Ecclesia jnitum ju-
ramento, passim in Scriptura, confirmantis, summa etiam po-
testas Politica juris jurandi freno ad officii limites non malè
revocatur: & quidem sine ulla libertatis violatione; Siqui-
dem ad huc flagitante necessitate leges mutare potest. Iniquum
enim foret juramentum pro salute Reipub. præstitum in ejus-
dem convertere perniciem. Cum longè rectius sentiat Baldus
qui monet Magistratum juramenta non esse præcisa, sed secundum
æquitatem temperanda.

3. Consequens absurditas. Sequeretur enim nec Davidis &
aliorum in Historia Sacra, nec ullius Romani Imperatoris (cujus
juramentum vide apud Schleidan. lib. 1. comm. ad Ann. 1592.)
nec Regis Hispania, Gallia, Anglia, Polonia, Dania, Hungaria, Bo-
hemia &c. Veram super esse dignitatem & auctoritatem. Hos

enim singulos jurare, ostendit *Althusius cap. 19. Pol. num 29. Ad argumenta contraria sufficienter responsum est à Reinking. libr. 1. de Reg. Sec. & Eccles. Class. 3. cap. 9.*

QUÆSTIO VIII.

An inauguratio & eidem addita insignia sint de essentia Magistratus?

Magistratum electum certis adhibitis solennitatibus, traditione atq; oblatione insignium regni & Symbolorum Con-
suetorum Coronæ, Sceptri gladii &c. (de quibus videatur *Ex-
cell. Dn. D. Jacob. Martini lib. 2. Polit. cap. 6. & Schönborn. libr. 2. Pol. cap. 20.*) inauguratione omnibus manifestari, illud non-
modò *Sacra*, Saul, David, Salamonis &c. Verum etiam *profana exempla* Tartatorum & Carinthiorum testantur, apud *Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 8. Caroli V. apud Schleidanum lib. 2. comm. ad Ann. 1520.* (ubi vide Ceremonias singulas : item de uncti-
one & congratulatione &c.) Regis Galliæ apud eundem *Schleid. lib. 19. comm. ad Ann. 1547.* (ubi itidem singulæ cere-
monia describuntur.) *An verò hæc ipsa ad essentiam Magistratus pertineant queritur.*

Ubi quanquam non desint rationes dubitandi, tamen *as-
serimus : hæc omnia & similia ad essentiam Magistratus nullatenus spectare quod probamus.*

1. *Rationibus.* Namq; inauguratio nihil aliud est quam re-
novatio acquisitæ administrationis sive delatæ, confirmatioq;
solennis, ad Magistratus auctoritatem stabiliendam, & perso-
nam ejus omnibus ac singulis notam faciendam : juxta *Excell. Dn. D. Jacob Martin. lib. 2. Polit. cap. 6.* Igitur Magistratui jam constituto nihil novi tribuere potest. *Videatur Althus. cap. 19. Politic.* adeoq; est regni constituti renovatio & confirmatio, non necessitatis sed solennitatis gratia adhibita. *Conferatur Alsted. Encyclop. in doctrin. Polit.* Proinde non est intrinsecum, essenziale constituens, sed externum accidentale consequens, auctoritatem Magistratus omnibus notificando stabiliens. *Videatur Matthias Stephani de Jurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 1.*

2. *Ex,*

2. *Exemplo declaratur.* Nam Romanorum Imperator legitime electus, acquisita per electionem dignitate Imperiali & summæ potestatis plenitudine, eundem titulum retinet (neque enim dicitur Imperator inauguratus) adeoque non ideo Rex est quia coronatur, sed propterea coronatur quia Rex est, ut monet *Arniseus de Jure Majest. lib. 1. cap. 6.* Nec morte ante coronationem per aliquot menses dilatam ab reptus, Imperatorio titulo privandus, cum per id tempus nec Imperium ἀνεσθλον, nec interregnum fuisse dici possit. Unde & *Frideric. 1.* non modo in constitutione supra citata ex sola electione Romanum Imperatorem definit; Verum etiam *Ludovicus Bavarus, Maximilianus 1. & 2. Ferdinandus 1. Rudolphus 2. Matthias 1.* contra Imperii sui diminutionem Pontificiam Coronationem neglexerunt.

Responsio itaque ad rationes dubitandi (quas potissimum profert, *Bodinus* qui ex Papali coronatione Imperatoris Romani potentiam allatrare conatur) est facillima. Nam absurdum hoc sequeretur, universo orbi inviolatum Imperium esse dene-gandum: Clamat enim experientia *Regem Bohemia* ab Episcopo Pragenfi *Reg. Dania* ab Episc. Hafniensi *Reg. Polonia* ab Episc. Guinensi *Reg. Gallia* ab Episc. Rhenensi &c. hodieque coronari & in augurari.

QUÆSTIO IX.

An homagii præstatio sit necessaria?

Homagium vocatur promissio obedientiæ & fidelitatis, quam subditi mediante jure jurando Magistratui præstant, ita ut membra Regni seu universus populus vel per se vel per ephoros suos, ephorique suo nomine Magistratui administrationem Reipub. suscipienti, & pie ac justè imperaturo, officiumque suum facturo, promittant in iis quæ non pugnant cum lege Dei & jure regni, obedientiam, obsequium & quæcumque ad regni administrationem illi futura sint necessaria. Cujus rei usus eximius cum per se pateat nec non summa ejusdem necessitas, non opus est ullam addere probationem, cum præter historias profanas in ipso etiam Sacro codice innumera hujus rei occurrent exem-

ipla. *Quae verò hic obiici poterant, sufficientissimè sunt soluta ab Arniseo lib. 1. de jure Majestatis cap. 6.*

QUÆSTIO X.

Num in distinctim qui vis, modò dignitate polleat, ad Magistratum sit admittendus?

Videtur affirmandum quia reliquæ virtutes, quas passim requirunt Politici naturam & essentiam principis quatenus utalis est non ingrediuntur Videantur Disputat. Machivelli.

Verum non obstantibus hiscè asserimus: Magistratum, qui ex Dei ordinatione (hac in parte ostendere volentis. 1. suam Φιλανθρωπίαν. 2. Potentiam adversus Diaboli organa. 3. Clementiam erga subditos. 4. Sapientiam in animorum nostrorum probatione & ad summam majestatem reductione) ex hominibus constituendus, omnino præter generis dignitatem esse 1. Dei timore. 2. Fortitudine. 3. Veracitate. 4. Justitia. 5. Sapientia. 6. Prudentia. 7. Temperantia & castitate. 8. Magnanimitate. 9. Modestia. 10. Affabilitate. 11. Clementia. 12. Eruditione. 13. Magnificentia & Liberalitate, tandemq; autoritate debere esse instructum.

Quod ipsum probavit prolixè & ad singula quæ obiici poterat respondit Schönborn. lib. 2. Polit. cap. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36.

QUÆSTIO XI.

An in Magistrature requiratur Pietas?

Quod olim Claudius quidam, referente Flavio Vopisco in vitâ Aureliani dicere ausus: Omnium bonorum principum nomina uno inscribi posse annulo, idem si hodieq; ob nonnullorum Machivelli (lib. de Princip. cap. 8. 15. seqq. sufficere putantis, si Rex religionem & pietatem simulet) complicum profanas opiniones. (ob Romulifecem ubi interdum Principem ἀλω πενί- ζειν oporteat, nescio quam μιξοπολιτικο θεολογίαν ipsi sufficere) accideret, fortè non adeò mirum. At verò non obstantibus hiscè asserimus: Pietatem uti omnium reliquarum virtutum columna & firmamentum est ita etiam quam maximè in Magistratu esse attendendam.

120
dendam. Quod probamus. 1. à divino mandato, de quo Theologi. 2. à Magistratus officio, quia divino gaudet nomine Ergò. Deum etiam cuius est vicarius pietate exprimere convenit cum idem etiam ethnicis natura dictaverit. Ita enim Seneca libr. 1. de clement. cap. 2. optimè Deorum exemplum Principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus ostendat quales Deos sibi velit. 3. à Pietatis natura. Hæc enim [Ciceroni pro Plancio omnium virtutum fundamentum] non modo ad omnia utilis, sed etiam Sapientia, Principi cum primis necessaria, initium, verèq; felicitatis mater: cum juxta Livium, omnia prospera colentibus Deum eveniant, indeq; Cicero de arusp. resp. gloriatur, Romanos suæ pietatis (quæ Deos placatos efficit lib. 2. off. pag. 89.) mercedem tulisse orbis terrarum imperium: Ita enim, teste Val. Max. lib. 1. cap. 1. se optimè Remp. recturos existimarunt, si divinæ potentia bene atq; constanter famulati fuerint. 4. ab impietate concomitante malorum colluvie. Cum enim autore Plinio, vita Principum Speculum est, in quo se contemplantur, exemplar, ad quod vitam conformant, norma, ad quam mores dirigunt subditi, hinc fit, ut plerumq; qualis rector civitatis tales etiam sint cives. Impietas etiam est, quæ firmitatem regni destruit, & ex Principe leonem rugientem, ursamq; esurientem facit, (uti loquitur Sapiens) qui tandem multa millia innocentis. subditorum quo ad corpus & animam secum perdit, uti multis, potissimum sacris id probat exemplis Althus. c. 28. Polit. pag. 573. Turpissimum proinde juxta Besold. lib. 2. Pol. cap. 1. §. 11. Principi, fidei suæ non exactè scire articulos. Vid. Keckerman. lib. 1. Polit. cap. 32. Ex quibus cuivis cordato ad rationes Machiavellistarum respondere erit facillimum. Potissimum si addantur ea, quæ in tractat. de Magistratu Politico, hac de re suo loco adducunt Theologi.

QUÆSTIO XII.

Qualis nam eruditio in Principe

requiratur?

Quamvis non desint Aristarchi iniquissimi, Baudio cent. 1. Epi. 4. teste musarum sacris iniciatum, tanquam unius operis remigem ac bajulum

bajulum vel ut ad omnia alia ineptum rebus gerendis sub mō-
vendum judicantes, suam tamen *διαονίας ἀρ' ἑωσίαν* inter ipsum
bonum & accidentarium ab usum distinguere nesciam eo ipso
(*ut satis ostendunt ratiunculae eorum à Junio pag. 1. q. q. Polit. 18. pag.
207. discussæ*) produnt, nemo enim ex Sanioribus requirit ut
Principes sint librorum felliones, quo nomine *Michiael Constantinopolit. Adrianus, Julianus, Romani Imperatores cum aliis ab Ar-
niseo præfat. Polit. & Schönb. lib. 2. cap. 32.* meritò, carpuntur, sed
solum, ne omnis planè ab illis exulet erudito, Missis ergo dis-
sentientium ratiunculis *asserimus: Eruditionem vel maximè dece-
re Principem.* Quod suadet (1.) *officii quod gerunt dignitas.* Ideò
enim Sapientes requiruntur principes, quia juxta *Platonem 4.
de L. L. non à bobus boves, nec à capris capræ reguntur, esset enim teste
Aristot. 1. Pol 3. turpè & naturæ contrarium deteriores prudentiori-
bus & melioribus dominari, cum indocti in judiciis sint colossis si-
milimi qui cruribus divaricati distenti & hiantes foris heroica
& divina ornati formâ, intus verò terrâ lapidibus & plumbo
sunt repleti.* (2.) *autoritas Aureæ Bullæ.* Si enim juxta illam (*vid.
Schleidan. libr. 1. pag. 28.*) *Electorum filiis primis ab annis Ita-
licam, Latinam & Illyricam linguam addiscere convenit, præter
ibi assignatum finem (conversationem cum exteris) procul-
dubio etiam, ut in his vaginis, quem meritò B. Lutherus linguis titu-
lum tribuit, alia quoq; , eruditionis κειμήλια asservare possent,
quis aliis vitio verteret Principibus literas, Lipsio cent. 1. Epist. 16.
teste virtuti serviunt magnumq; velin comparandâ eâ adjumen-
tum, vel inparata sunt ornamentum, non negligere* (3.) *Eruditionis
præter præstantiam & jucunditatem varia utilitas.* Est enim Rex
sapiens populi stabilimentum, insipiens verò (*cum per sensum
prudentium civitates inhabitentur & Nazianzeno ars artium sit ho-
mines regere,*) non potest non populum perdere. Unde nec *Da-
vid Salomonem, Imperio destinatum, informationi Proph. Na-
ghan. credere dubitavit, nec Persæ, ut Philo testatur naturam imi-
tati, quæ Solem siderum Principem nunquam sapiente Mercurio comi-
te destituit unquam alium admiscere Regem, nisi qui Magis seu
Sapientibus fuerat familiaris forsan haud ignari, quomodo*
Archis

*Archimedis machinis Geometricis vix par Marcelli totiusq; Rom. exercitus fortitudo fuerit. Taceo quæ de Julio Caf. Alphonfo, Friderico 2. & aliis refert Christian Matthia lib. 3. Pol. pag. 287. & Boterus l. 2. Pol. Illust. cap. II. & Hænon diff. Pol. 8. 21. Siquidem juxta Quintilian libr. 5. instit. rem in claris perstringere terminis tam stultum, quam sub Sole clarissimo mortale lumen inferre. Illud modò ἐπισηματικῶς loco addo, ab informatoribus (quos monente Besoldo 2. Pol cap. 1. §. 11. pios emeritosq; præstat esse consiliarios & fortes Capitaneos, quam Philosophastros juvenesq; temerarios) non omnia, sed maximè necessaria magnâ cum ingeniorum circumspeditione esse proponenda. Quas condiciones fusius explicarunt Admod. Rever. Dn. D. Jac. Martin. 2. Pol. c. 8. Heiderus c. 2. Kecker. libr. 1. Polit. cap. 2. & Alsted. Encyclop. p. 2571. Ex quibus etiam argumenta contraria per se cadunt. Atq; hæc si certa sint, in reliquis minus difficil. facilis erit responsio. v.g. quando *Queritur. 1. An in Principe spectanda sit forma corporis?* Hanc etenim, definiente Tullio 4, Tusculan. in apta membrorum figura consistentem cum coloris quadam suavitate [velut eximium Dei donum August. lib. 15. C. D. c. 21. ἀδορυφορητοῦ βασιλείας Carnead. circulum, cujus centrum bonitas, Plat.] in libera electione, virtutibus junctam, omninò magnifaciendam esse suadet. (1.) *Scripturæ S. autoritas.* Hæc enim nihil superflui continens non sine causa Saulum omnibus altiore, Davidem rubicundum, & aspectu pulchrum. Gedeonis fratrem formâ regiâ præditum &c. commendat. (2.) *Rationes satis probabiles.* Est enim pulchritudo ex genere triplicium animæ, corporis & fortunæ bonorum, hoc verò si ab omnibus appetendum 1. *Rhetor. Theod. c. 7.* neq; hæc rejicienda erit: Corpus etenim instrumentum animæ est, quæ hoc malè dispositot difficulter operatur. Quo indubiè *Nebucadnezar*, decoros forma pueros eligi jubens respexit; & *Cicero in Epist.* passim inculcans, opus esse corpore valere, si animo velimus. Quod si ergò ex 2. *Topi. or. 2. Tex 21. bonum cum adjectione præstat bono simpliciter, cur non Grator erit pulchro veniens è Corpore virtus.* (3.) *Naturæ suffragium.* Ex hujus siquidem instinctu *Columella lib. 6. c. 10. teste*, apes sibi Regem insignis formæ, aliisq; tum magnitudine, tum nitore dissimilem eligunt:*

C

gunt:



gunt : hoc suafore non armenta degener taurus sed (ut etiam Ele-
phantorum gregem) ducit excelsissimus. Hinc deformes à Scho-
la sua prohibuit *Pythagoras*, & ex *Juliani Rhinocerotis naso* *judicavit*
de animo ejusdem Nazianzenus (ut refert Richter ax. oecon. 15.
p. 81.) Barbari : ut meminit *Curtius* 16. in forma corporis quæ jux-
ta *Stobæum* quavis Epistola, magis commendat) singularem,
agnoscentes majestatem in electione tales maximè respexerunt,
quos secuti *Æthiopes* & alii *vid. Junius qq. Pol. pag. 1. q. 21. p. 149.*
(4) *Testis experientia*, quæ formæ junctam virtutem ostendit in *Ale-*
xandro M. Augusto, Tito, Antonio, Trajano Theodosio & aliis, vitia
verò deformitatis comites in *Juliano, Tiberio, Stauratio Orientis*
Imperatore &c. qui ob corporis deformitatem, ingeniiq; stolidi-
tatem & libidinem regno dejectus; quod etiam in *Wenceslao I-*
gnavo (verius ob foedatum Baptismum copronymo) similem for-
tunam experto, observare licuit, ut *Philippus in Chron. testatur.*

Item quando quæritur 2. *An prudentia Principi necessaria*
scientiam simulandi & dissimulandi requirat? Merito quidem deplo-
randum quod hodie *Oweno* teste :

Improbitas tanti probitas tam deniq; parvi

Penditur, ut probrum penè sit esse probum.

Interim tamen rejectâ omni simulatione Theologica & æ-
quivocatione Jesuiticâ aliquam interdum in negotiis & Consiliis Po-
liticis licitam esse Principi circumspectam simulationem Concedimus.
Quod requirit (1.) *ejus officium*. Si enim prudentia omnes virtutes
aureâ veluti canetâ, *Caso libr. 6. spec. mor. cap. 3.* teste, devinciens
in Principe, quem ἐκτόπωμα & velut ἀπεικόνισμα omnium virtu-
tum esse convenit, omninò tanquam ἴδος ἀρετῆς μόνη relucere
debet, utiq; & hujus non postremæ partis requiritur præsentia, non
quidem ad defraudandum, *Machiavello* (*suafore cap. 18. de Principe*),
sed ut ad hostium castes plurimaq; pericula evitanda alienum pro-
re natâ assumere vultum, Cum Saulo quædam non audire, cum
Davide pœnas differe, cum Gideone convitia contemnere, cum
Ahas vero quædam reticere norit, ne omnibus credendo per sim-
plicitatem suam seducatur. (2.) *Consilium Salvatoris Serpentinum*
in columbino corde requirens oculum, cum simplicitas astu benè
fermen-

fermentatata triumphet. Unde & Ægyptii oculum in scepro regio ponens
tes tempori inserviendum docuerunt, non quidem, monente Seneca lib. 4. de
virt. aliqua mutatione, sed ad exemplum manus ejusdem jam in palmam ex-
tensa modò in pugnum constricta, convenienti aptatione. (3.) exemplum ex innum-
meris Athanasii, ab itum suum coram Arianis simulantis) communi Ec-
clesiasticorum Scriptorum calculo approbatum. Conferantur ea quæ hac
de re dicta sunt *Disputat. 1. q. 3.* Patet porrò Resp. ad 1. *An Prudentie prin-*
cipis conveniat interdum mutato habitu subditorum mores inquirere? Videtur
quidem dissuadere illud (1.) Periculum, cui per magno tam exotico quàm
domestico hoc faciens se exponit, uti præter aliorum, Maximiliani I. vena-
tionis occasione in hospitiò anthropophagico de vita extremè periclitantis
exemplum pluribus ostendit (2.) In honestas, quæ Principi, qui juxta Pla-
tonem Deorum filius: & divinæ majestatis imago, teste Alberico Gentili, omni-
nò declinanda, quâ tamen delatores, exploratores & emissarios non carere
certum est. (3.) damnum cujus ita causa esse potest, maximum. Si enim
subitanæ fierent hostium irruptiones, seditiones &c. quam multum absentia,
vel omnimoda boni Principis privatio Reipub. officiat, quivis facile perspicit.
Quanquam verò hisce & aliis ejusmodi rationibus contradicere videtur. 1.
cum utilitate necessitas. Cum enim propriis quàm alienis videre præstet
oculis, Principes verò etiam optimi, nonnunquam ob officiariorum [milviis
quàm hominibus similiarum, Argi oculis, Briarei manibus, sphingarum un-
guibus, Laomedontis perjuriis, Ulyssis argutiis, Sinonis fallaciis, fide Polymne-
storis & pietate pigri leonis, admodum conspicuorum] injustitiam, malè
audiant: & crudelitatis accusentur: admodum conducere, si auro & lac bene-
ficio spongiæ tales, exploratæ ad Vespasiani exemplum exprimerentur, subdi-
torumq; ejulatus tollerentur. 2. Eventus fatis felix, Videntes enim Leo
Imperator, Matthias Hungaria Rex, Henricus, Julius, Duces Brunsvicenses, nec
pauci Hassia Landgraviæ &c. Principem (juxta Flavium Vopiscum in vita Au-
reliani) domi clausum vera non nosse, hoc tantùm scire quod alii loquuntur &c.
adjuti ejusmodi inquisitionibus querelis subditorum auditis, cum justitia pu-
gnantia emendarunt, iniquos officarios removerunt, & ita felicissimè gu-
bernarunt. Interim tamen summa cum circumspeditione mediæ viæ regia eligen-
da, videlicet si omninò Princeps ejusmodi explorationibus (nequaquam tamen
temerè suscipiendis) delectetur, ut eas non nisi fidelissimis stipatus ministris statu
Reipub.

Reipub. pacato & c. instituat. si vero scommata & querelas patienter ferre nequeat, casdem (ne innocentium, nonnunquam ex imprudenti, non tamen adeo malo animo quaedam appropinquata evomentium subditorum sanguine manus commaculet) omnino intermittere prestat. Patet insimul hinc quid respondendum quando *Queritur 4.* An fortitudini Principis repugnet adsciscere presidium corporis? Quanquam enim ita se Princeps gerere debeat erga subditos, ut cum laudatissimo Wurtemberg. Duce Eberhardo in cujusq; sinu tuto capere quietem liceat. ob belluæ tamen multorum capitum inconstantiam, defensores adungere satellites jubet (1.) *Principis officium.* Cum enim sit Dei in terris vicarius, qui in numeros ferè cælestes habet satellites ad protegendos pios, & malos puniendos, utiq; tali præsidio carere nequit, quo regnum suum, turrim illam excelsam, *autore Casol. 3. spher. civ. c. 11.* opes infinitas continentem custodire, bonos defendere, & pertinaces ad debitas pertrahere pœnas possit, quo ipso reliqui in officio retineantur. In quem etiam finem, *teste Rosinol. 7. Antiq. c. 3.* fasces olim & secures Magistratibus præferebantur. Unde Israelitarum Reges eo nomine à Spiritu S. non modo non reprehenduntur, sed etiã tacite laudantur (2.) *Necessitas.* Cum enim teste *Seneca* Princeps sit anima Reipub. imò lucerna populi, pro decem millibus computandus: omnino præstabit *juxta Pontan.* amorem inermem quidem incedere, loricatum tamen dormire, id est fidæ custodia infortunium excludere, quam nimiam securitate bono Principe Remp. orbare, quod proh! non rarò accidisse non modo (ut cum multis aliis. *Wilhelmum Principem Ayracum taceam*) *Henrici III. Gallie Regis à Jacobo Clemente Monacho ordinis prædicatorum cultello oblongo Ann. 1589. d. 11. August.* & *Henrici IV. 24. Maii Ann. 1610. in curru à Ravillardo interfecti,* exempla satis testantur, sed etiamnum Deo, non impediente timendum esse Jesuitarum Assassiniis crudeliorum sanguinolenta scripta abunde evincunt: quorum ingens numerus (*Mariana Suarezii & c.*) ob crudelissimas hypotheses, Lutetiæ per carnificem publicè combustus. uti videre est apud *Thuani continuatorem Ann. 1612. Tom. 4. libr. 5.*

Tantem ad *Q. 5.* An generis macula detrahat majestati Principis. præsuppositâ distinctione 1. inter regulam generalem, & extraordinarium necessitatis casum 2. inter eum, qui maculam generis vitæ honestate & rebus præclare gestis eluit, & secus [*vid. Disputat. 7. quest. 1.*] responsio erit facillima.

F I N I S.

05 A 311

ULB Halle
004 209 80X


3



5b

1077





Exercitationum Politica-
rum, nobiliores controver-
sias expendentium,
S E X T A

Quam

D. O. M. A.

*In celeberrimâ Electorali ad Albim
Academia*

P R Æ S I D E

M. JOHANNES OLEARIO

Hallens. Sax. Amplifs. Facult. Philo-
soph. Adjuncto

Publicè ventilandam proponit

IOHANNES SIEGFRIEDT,

VVitteb, Alumn. Electoral.

*In Auditorio Minori, ad diem 16. Julii 17 Septemb.
horis pomeridianis, matutinis.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.